DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XXVIII. IANVARII.

M. ALANO LAMI, Doctore Medico, Præside.

An tactus quam cæterorum ſenſuum voluptas maior? 1035.

SENSVS, qui nil ad vegetantem attinet, quanquam non ſine vegetante, vnius animalis naturæ vindex eſt & tutor aſſiduus, quo illi datum neceſſaria & profutura ſectari ſemper, vitare nocitura. Omnis eius proinde appetentiæ quæ præuia cognitione ducitur ille fons & origo, perficitur alteratione, licet ſine paſſione aut motu ſpecies ſenſibilium ſeiunctas à materia debeat comprehendere: hinc tria ſenſum complent ac perficiunt, ſenſibile ſcilicet menſura ſenſus vt intelligibile intellectus, potentia ſentiendi, & huius actus; cuius duæ partes, obiecti comprehenſio & cognitio, illa quidem non hæc eiuſdem rationis & ordinis in homine & bruto. Cognitionis porrò ſenſitiuæ idea triplex, prior in nudo ſenſu hæret, altera componit ac diuidit, arbitra voluptatis & doloris, tertia fugiendum proſequendumue decernit quicquid moleſtum exiſtit aut volupe. Illinc vaga animalium natura, tot obnoxia iniuriis offenſionibuſque excubitores ſibi habuit, hinc ſuffarraneos, cupediarumque inuenit negotiatores prægustatoreſque fidiſſimos ſenſus.

SVA ſingulis ſtatio definita, circonſcripta prouincia, deſtinata inſtrumenta. Oculi corporis acropolim tenent, altaque de ſpecula eminùs proſpectant, & quodcumque viſibile (quod aliud à lumine dixeris) emiſſitiis ſpiculatoribus ad criſtallinum iudicem delaturis eunt exploratum. Patulæ tornatæ excultæque aures flexuoſo itinere, duro corneoloque ductu admiſſum ſonum tympano ſicciſſimo repreſentant. Nares prominulæ oculis daturæ diuortia contractiore meatu odoris faciunt venaturam, de quo proceſſus mammillares ſubinde iudicent, non ſine cauſa & illæ oris ſecutæ vicinitatem, quod cibi potioniſque iudicium magnum earum ſit. Guſtatus ea parte oris habitat qua cibi potuſque commeatum natura aperuit, oriſque vallo & ſepto dentium munita lingua ſaporum internuncia ad vſum & incolumitatis cuſtodiam eſt collocata. Tactus vero tandem ſeu communis quidam cæterorum ſenſus nulli priuatim addictus parti omnibus ſe addidit toto corpore æquabiliter fuſus, vt ne ipſa quidem oſſa, cartilago, quæque aliàs videntur ſenſu deſtitutæ partes corporis, illo careant, vti neque vllum animalium imperfectorum, ne dum perfectorum.

OMNIS tamen ſenſus hominum multo antecellit ſenſibus beſtiarum non tactu aut guſtu tantum, nec enim aquilis acies perſpicacior, odorantur vultures ſagacius, audiunt liquidiùs talpæ denſo & ſurdo naturæ ſepultæ elemento; ſuperat in pictis, fictis, cælatiſque formis vis oculorum mira, audacique ſtudio ex vultu ipſo animum ſubit: digna ſunt quæ humanis ſolum auribus iudicentur diſcrimina & interualla ſonorum, vociſque canoræ, fuſcæ, læuis, aſperæ, grauis, acutæ, flexibilis, duræ, aſſæ, modulatæ, flexus varij diuortia & concentus, queis ars naturam erudiuit. Tantum quoque in cæteris profecit, præcelluitque ſuperbiſſimi animalis induſtria non organorum merito, aut prærogatiua temperiei, quæ homini prima (vnde enim amabo piſcibus auditus & olfactus, etiam in altiſſimo gurgite tam diligens?) ſed contubernio & conuictu mentis quæ oculis pro dioptra, auribus pro Phonaſco, linguæ in Archimagirum, naribus pro vertago, tactui demum oberranti & cæco pro oculo & muſculo ſit. Hinc præ brutis ſolidior, ſincerior, conſtantiorque ſic erudita voluptas ſenſuum vt homini ita tactui prima; quæ nihil aliud eſt quam iucunda affectio partis ſentientis ex conuenienti motione ſpecierum ſenſibilium.

CVIVS quidem fundi dominum non alium à ſenſitiua anima ipſe ſcripſeris, quæ hoc perneceſſariæ voluptatis illitio & pellecebra iugis diligentiſque ſenſuum operæ tædium minuit, recreat laborem, ſtudium incendit, & acriùs ſollicitat; & ſi nec ex æquo hanc ſibi ſenſuum quiſque diuidat; iis namque remiſſior obſcuriorque ea eſſe neque immerito voluptas ſolet, quorum actio momento ferè temporis, ſedata tamen & placida motione perficitur, minimumque addicta corpori vel immerſa materiæ ſenſibili mutatione plane vacat: ſecus vero quæ tardior commotiorue, moli corporeæ magis obnoxia, nec non huius valido impetu ac ſenſibili magis alteratione peragitur. Hinc viſum ſimili modo non afficit ac recreat cæſij viridiſque coloris ſpecies ſuauiſſima, ac auditum ad harmonicos numeros, phrygiumque modum molliter inflexæ vocis aut fidium ſonus: nec tantum illicis gratiæ Arabius Murrhinuſque odor naribus intulit quantum gulæ Apicij & Paxami iura: eorũ nempe omnium vis eo efficacior quo magis tactili lege congermaneſcunt, vnde prima illis elementa: viſus enim, auditus, odoratus, ac guſtus maxime, aut tactus quidam ſunt, aut tactu; qui dignitatis ordine licet vltimus infimuſque vnius neceſſitatis æterno iure cum germano guſtu in homine animalium præcipuo, præcipuus, temperatiſſimus in temperatiſſimo primas tenet.

QVAMOBREM vulgari huic veneri ſiue voluptati tactus vna pro omni telo & æſtro ſatis fuit vis primariæ neceſſitatis, qua ſemel vrgente nihil poterat ad impetum deeſſe, non incitatus & præceps puriorum ſpirituum ab hepate, corde, cerebro excurſus, beataque copia, non æſtus humorum, nec partium conſenſus, aptaque ad voluptuariam ſenſationem diſpoſitio. Atque idcirco ſapiens illa prouidaque noſtri opifex, quæ vt non abundat ſuperfluis, ita neque neceſſariis deeſt vſquam, vnum præ cæteris tactus ſenſum (ſine quo eſſe animal nequit aut durare, quo vno ſtare inter aliorũ damna poteſt) ſingulari blandiſſimæ voluptatis gratia, quo naturæ atque animæ iuſtum penſum animal alacriùs accuraret, vndique perfudit condiuitque: hæc illi pro Iynge & philtro; hinc faces ardent ſecus otioſi cupidinis, etiam adhuc huius inter ferias ad pſyches lucernam dormituri. Attende quam impotenti furore libidinum, oblita docilis naturæ, agantur bruta quæque mitiſſima nec tum alium dominum agnoſcant. Aduerte quas menti corporique turbas excitet catullientis in locis in tam breui mole ſeminis vis venefica, omnemque adornat ſcenam quam tragico exitu nonnunquam clauſit, tantum iniuriæ etiam placita habet vna voluptas tactus cum ſumma eſt, vt pleriſque fatale fuerit titillari. ~~476~~

Ergo tactus quam cæterorum ſenſuum voluptas maior.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Dioniſius Ionquet.	*M. Martinus Akakia.* P.R.	*M. Guido Patin.* P.R.
M. Iacobus Gauois.	*M. Nicolaus Capon.*	*M. Iacobus Theuart.*
M. Michael Marès.	*M. Nicolaus Richard.*	*M. Vrbanus Bodineau* M.R.

Proponebat Lutetiæ ÆGIDIVS LE BEL, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LV.